

1208. 21 martii. Vicetiae.

Atto di scioglimento o di separazione delle sette antiche chiese di Cadore dalla Pieve di S. Maria.

14

[Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo octavo die vicesima prima Martii]
In Vicetia in domo murata domini Petri Mauricij in qua scholares habitant, presente magistro Ugone de Francia, ser Tomasio Romano, ser Bertume joannis Vicentini, Ubertino Vulpis. Ibi dominus Stephanus clericus romanus fecit specialem et generalem finem domino Odolrico clerico ecclesie sancti Stephani de Conuelico recipienti pro se et pro domino Cresto presbitero eiusdem ecclesie et pro ipsa ecclesia, et pro Conrado subdiacono ecclesie sancti Martini de Vico et pro ipsa ecclesia, et pro presbitero Azone ecclesie sancte Justine de Aurancio et pro ipsa ecclesia, et pro presbitero Puyssio ecclesie sancti Georgij de Domoglio et pro ea ecclesia, et pro presbitero Gualfardo ecclesie sancti Martini de Valle et pro ipsa ecclesia, et pro presbitero Azone ecclesie sancti Viti de Resinugo, et pro presbitero Megenardo ecclesie sancti Jacobi de Ambicio, de omni eo quod poterat eisdem ecclesijs licet pro ecclesia Plebis sancte Marie, et remisit ipsi domino Odolrico recipienti pro se et pro istis presbiteris et ecclesijs omne jus si quod habebat in ipsis ecclesijs occasione plebis sancte Marie, et quod nunquam veniet contra nec per se nec per aliquam personam interpositam; et si hoc contrafaceret et ipsi conuincunt in aliquod dampnum, totum dampnum et dispendium reficere promisit, et obligavit omnia bona sancte Marie de Plebe et omnia sua bona pro se attendere et observare, renuncians per se suosque [successores] actioni fori, et ipsi stent in eodem statu quo ipsi nunc stant, salvo eo quod si haberent (aliquid?) de possessione Plebis, quod remittant de cetero, et quod habeant predictos presbiteros et clericos illarum ecclesiarum cum omni honore sicut sunt visi habere. Et hec finis facta fuit salva ratione clericorum et illarum ecclesiarum.